

Nicolaus Plahn

Programma, quo & Privatæ Informationis Suæ rationem reddit, & simul Publicum Discipulorum Examen modeste indicit M. Nicolaus Plahn. Rostoch.

Rostochii: Typis Joh. Weplingii, [1710]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1684379083>


Druck Freier  Zugang



MK-13584. M
110
116



66
2. 19.



PROGRAMMA,

qvo &


PRIVATÆ
INFORMATIO-
NIS SUÆ

rationem reddit,
& simul

PUBLICUM DISCI-
PULORUM EXAMEN

modestè indicit

M. NICOLAUS
PLAHN. Rostoch.



ROSTOCHII,

Typis JOH. WEPPLINGII, SERENISS. PRINC.
ET ACAD. Typogr.

MK - 13584^M ~~MK - 2001. S. a. (4. a.)~~



Tertius nunc annus agitur,
 nec dum prorsus effluxit, ut
 mihi quid jam pridem ex-
 optatæ occasionis, privatâ quâ-
 dam puerorum informatio-
 ne, adminiculis illis, in
 juventutis Scholasticæ (quam
 semper in deliciis habui, &
 cui me fere unice mancipavi)
 emolumentum, pro lingvis,
 & humanioribus literis, quibus illa ætas impertiri
 solet, citius atque feliciter, ac vulgò fit, addiscendis,
 à me, summa cum industriâ, & quidem secundum
 optimorum Philologorum Consulta ac placita, con-
 cinnatis utendi, datum est, non me subduxi, huic
 negotio, quamvis molestissimo, mihiqve, si rem
 familiarem spectes, parum fructuoso, memet appli-
 care, quin potius alacri promptoque animo, sub summi
 Numinis favore, aggressus sum. Sed vellem Deus im-
 mortalis fecisset, ut ad susceptum hocce negotium
 ex sententia peragendum, omnia votis meis respondis-
 sent; Vellem major, tum fautorum, huic rei verè fa-
 ventium ejusque promovendæ cupidorum, tum quo-
 que discipulorum numerus, & ille par quidem teren-
 dis sumptibus huic operi necessariò impendendis, mihi
 obtigisset; Vellem ita tulisset fortuna, ut modò me-
 morata illa adminicula mea, quibus solis hac in re
 utor, cum discipulis meis, typis impressa, communi-
 care, & sic multo ac cædiosissimo ego dictandi, hi
 verò scribendi labore supersedere potuissemus; Vellem
 etiam paucos illos curæ meæ commissos parem, prout
 æquitas postulabat, in discendo & diligentiam, &
 constantiam, adhibuissent &c. Verum, cum etiam
 in hâc re mihi ex voto vivere, ac susceptum negotium
 pro lubitu exsequi planè non licuerit, sed plurima-
 nobis

nobis in eo, cum publica, tum privata, obstacula fuerint posita (*χωρὶς τῶν Πάρεκτος*) sufficiat prodisse tenus, rum non datum fuerit ultra, & vindicet nos tritum illud, quod in proverbio dicimus: Ut possumus, quando ut volumus non licet. Ut autem Tibi B.L. quid in sapius memorato hoc negotio revera præstitum sit, & quosnam curæ meæ concrediti, sub meo ductu & auspiciis, per dictum temporis spatium, & tam turbido rerum mearum statu, in literis progressus fecerint, quodammodo innotescat, illud hæc schedulâ, quasi programme, significare volui; sic ergo habeto: Cum aliquot optimorum parentum Filiis, ex parte vix nonum annum agentibus, me ad opus hoc privatæ informationis accinxi; Anno 1707. circa medium fere mensis Julii, idque licet toties interruptum, multisque incommodis ac rerum mutationibus pressum, Deo sospitante, adhuc, non sine omni felicitate, produxi. In illo autem mihi omnino, monente sic Claud. Baduell. Epist. ad Sadolet. ratio habenda tuit, *cum tenera hujus puerorum ætatis, tum etiam studiorum, seu rerum iis discendarum, ne scilicet hic quicquam fieret temere, & perturbatè & dissolutè, quod vel ipso Sturmio, communi Germaniæ Præceptore iudice (de Lud. Lit. ap. p. 15.) rarò magnos progressus facere solet, sed ut cunctis aviis, atque sive hiatibus, sive anfractibus, quibuscum aliàs hic conflictandum est, devitatis, rectâ planaque viâ, ac certo ordine, quem methodum appellamus, ab infimis, per medios veluti gradus, ad summa paulatim rudis hæc ætas duceretur; ita enim ab ipso Quintil. (L. 10. C. 1.) ad summa, nisi à principiis, perveniri non posse, nec quenquam, quod Buchn. (Dissert. 2. de Exercit. Styli) habet, in summum, nisi ab imo ascendendo, nisi, acceperam. Hinc cum istiusmodi mihi discipuli traditi essent informandi, qui etiam primis humaniorum literarum fundamentis adhuc destituerentur, maximè omnium mihi dispiciendum duxi, ut, tanquam prudens architectus, illa statim ab initio satis solida ponerem, ne his vel neglectis, vel pertunctoriè positis, quicquid postea superstrueretur, quod ut pluri-*

num fieri videmus, corrüeret. Et quidem cum fertur
pubi Scholastica tractandarum, post pietatis exercitia,
lingvarum studium primum esse soleat, imprimisqve lin-
gvæ Latinæ, utpote quæ ex adferto Taubmanni (apud
Becmannum in Eulog.) *tam necessaria est, ut nulla artium
& scientiarum sine illa addisci possit*, unde & Rechenbergio
(de Stud. Acad. Sect. I. c. 1.) *Viro erudito naturalis & pro-
pria esse dicitur, pro illâ addiscendâ, cum univerto hâc de
re rectè sentientium Philologorum ac Methodistarum
choro, fundamentum posui, non mancam quandam autè
superficiariam, sed satis uberem, & ad usum lingvæ suffi-
cientem Vocabulorum ac phrasium notitiam, quam co-
piam aliàs dicimus, exquisitâ, quin accuratissimâ præce-
ptorum Grammaticalium, cum Etymologicorum, tum
Syntacticorum, cognitione stipatam; sicut enim ad ædifi-
cii structuram duo necessario requiruntur, materialia
scilicet, ut ligna, lapides, calx, lutum &c. ac formale, sc.
struendi ratio; ex Architectonicis petenda, sic quoque ad
palatii Latinitatis ædificationem hæc duo maximè neces-
saria semper esse duxi, illa, quasi materialia, sc. Vocabula
ac phrasæ, & hoc formale, sc. Voces construendi, & si
flexibiles sint, rectè inflectendi ratio, *in quâ pueri, ex sen-
tentia Caselii (l. c.) exercitissimis sicut promtiores*. Nun-
quam sanè ab iis steti, qui, posthabita vocabulorum ac
phrasium copiâ, Scholasticam pubem, quæ vix sex se-
ptem voces latinas perdidicit, ad compositiones statim
adigunt, & vel singulas voces in textu occurrentes sug-
gerendo, vel pueros ad Lexica ablegando, ex Vernaculo
quid in Latinum sermonem transferre jubent, *præ posterum*
enim ac *perverissimum* hoc esse, testantur plurimi summi
Viri Tschirnhausius in Med. ment. Cap. 2. Ant. Scorus Tr.
de rat. Doc. Sturmius præfat. ad Theod. Richel. aliique &
quis hæc ratione ædificia extruere non videt, materialibus
antè non comportatis? Nec cum iis quidem feci, qui
(quos inter Knollus præf. in Nep) ad Latinitatem com-
parandam sufficere credunt, aliisque persuadere satagunt,
si juvenus Scholastica unius modo auctoris, vocabula
utpote Cornelii Nepotis, vel alterius cujusdam, percepta
ac*

ac cognita habeat; quid enim inde aliud consequitur,
quam ut facultatem sermonis, vel nullam, vel certè lati-
gvidam, quis sibi comparet; potius omnia probata &
exercitata Latinitatis vocabula, sc. nomina, Verba & particu-
las, pueris statim ab initio, & quidem in propriâ sua
significatione, quoniam multum refert, eos (ut ait Comenius
præf. in Jan.) à primis statim annis ad proprietatem vocabu-
lorum ad se fieri, inculcanda esse arbitratus sum. Et in hæc
quidem sententiâ non modò plurimos optimorum, cum
Veterum, tum recentium philologorum, quos nunc bre-
vitatis causâ, & quia res in aprico est, silentio prætereo, sed
& ipsum maximum dicendi Magistrum, Fabium, Aucto-
rem habeo, qui crebris usurpare sermonibus contrevit-
sire vocabula rerum maximam esse partem eruditionis. Ve-
rum illud hic maximè mihi cavendum judicavi, ne curæ
meæ concrediti solam vocabulorum (quod vulgò fieri
multi eruditi, & rerum Scholasticarum peritissimi viri,
jam pridem quæsi sunt) sine rerum notitiâ sibi acquirere-
rent, quod sanè est sola putamina legere, nec eo neglecto,
quid enim, rebus ipsis mente non perceptis, juvat, in-
numeras memoriâ comprehendisse voces, cum nullis
tere usibus accommodari possint? Hinc cum ipsis vocabu-
lis, simul res, cum naturales, tum artificiales, tum etiam
morales & divinas, quin semina omnium artium & scien-
tiarum iis, nec sine fructu quidem, ingenerare annisus
sum. Unde verò vocabulorum copiam sibi tali modo
hauserint discipuli mei, & quâ ratione illa quàm com-
modissimè teneræ ætati instillari possit, quum judicare,
Tschirnhausio teste, l. c. *per se maxima sit difficultatis*, hic
nunc exponere non possum, præsertim cum ad inicula
illa, quibus egò hoc in negotio utor, adhuc in occulto
lateant, in cæteris verò parum esse auxiliij, hisce in rebus
plurimum versatus, satis exploratum habeam. Nec eo-
rum quoque hæc in re sententiâ secutus sum, qui negle-
ctis principijs Grammat. solo usu, & conversationis viâ,
lingvâ addisci posse autumant, qui nihil hic regulis,
seu rationibus Grammaticis, omnia verò usui ac exercitio
committunt: Sanè sicut pessimè hos de juventute mereri, ac

) (3

pœnas

poenas in istiusmodi Præceptores constituendas esse, qui præcepta fastidiunt, cum Melanchtone (Epist. ad Reiffenstein sic quoque contra cum Caselio l. c. Mechov. Herm. Tr. 2. Cap. 4. aliisque plurimis, temper statui, ante omni a videndum esse, ut artis hujus tam utilis ac necessaria, scientiam discipuli mei maturè & accuratè perciperent; Id tantum à me præcautum est atque provilum, ut, cum illa vulgatorum Grammaticorum Systemata, præter prolixitatem (si hâc voce uti licet) & nimiam, in quam excrevère molem, sæpe multa inutilia & minus necessaria, multa quoque obscuriora, quin adulteri inâ & manifestè falsa, contineant, hi mei, non nisi brevissimis, certissimis, iisque latis perspicuis, ac maxime necessariis præceptis imbuerentur. Cæterum cum initium studii Latinitatis non solum in dictionum delectu, sed & proprietate & puritate consistat, auctore Caselio l. c. illaque proprietas non in solis vocibus, quò de paulò antè egimus, sed potissimum quoque in ipso sermonè, & exercitio lingvæ, spectanda sit, ut sic non tantum loquamur aut scribamus Latina, sed & Latine, monente Vossio, in Arist. L. 7. C. I siquidem Stylus noster Scheffero l. c. 3. ita postulante, antiqua rectitudini conveniens, & ad exempla veterum accommodatus esse debet; etiam hâc in parte conceditis mihi discipulis consulendum putavi, præsertim, cum aliàs, ex hoc neglecto, Becchero l. c. teste, maxima exsurgat difficultas & linguarum Confusio. Duo igitur mihi præcipuè hic porro providenda ac procuranda existimavi, unum sc: Ut illa superiora, jam tum à discipulis meis memoriæ commendata, satis firmas in eâ radices agerent, nec mox rursus, ut vulgò sæpe fit, dedicerentur, haud æquum enim facere, cum plauto Amph: judico, quod qui didicit, id dediscit; alterum, ut in suscepto studio, pedem movens, præter simplices voces, etiam communiore, ac magis usitatas Latinorum Auctorum phrasès, seu loquendi formulas, unà instillarem, ut ergo utriusque horum, juventuti maxime cupiens, succurrerem, promptuarium aliquod Latinitatis ipse adornavi, quo omnia & singula probatè & exercitè Latinitatis vocabula, unà cum usitatissimis probatissimisque phrasibus, per certas duodecim classes,


classes, & in qualibet, totidem titulos, Universitatē quan-
 dam rerū in compendio, at non cum dispendio, ut ab aliis
 factitatum) exhibentes, distributa, complexus sum, illud,
 præviā Syntaxeos expositione, aliquoties cum discipulis
 meis percurrere (quod certè singulis mensibus, ad mi-
 nimum, bis fieri potuit, unā tantum horā huic rei quo-
 tidie impensā) vel nullo negotio, & voces simplices in
 memoriam sibi revocare, & phrasas familiares reddere
 potuerunt. Quod ipsum sanè, cum *memoria aliàs valde
 labilis ac infirma sit*, teste Drexel. in Aurit. c. 2. etiam *nudis
 ac simplicibus vocibus nil magis oblivioni obnoxium*, Scioppio
 præ: in merc. : bil. iudice, pro vocabulis repetendis, ac
 memoriā retinendis, ut & phrasibus Latinis cognoscen-
 dis, certissimum atque utilissimum organum esse, re
 ipsā comperi, sicuti enim lateres & cæmenta sibi invicem
 junctā, & luto ac calce coagmentata, firmiter cohærent,
 adeo ut divelli vix possint, ita quoque voces vocibus
 junctæ, & in decenti constructione positæ, memoriæ fir-
 mius in hærent, nec eā, suffragante eodem Scioppio l. c.
 tam facile excidunt. Hinc verè Morhofius l. c. Cap. 10. è
*sermone simplici quidem, sed rectè suis particulis juncto, Voca-
 bula haurienda esse monet.* Fundamento autem Latinitatis
 sic satis solidè jacto, atque stabilito, ipsum quoque lingvæ
 exercitium aggressi sumus, nunc analysi, seu Auctorum
 Lat. tractationi, nunc Synthesi, seu argumentorum com-
 positioni vacantes; pro illa igitur adhibuimus primò
 Corn. Nepotem, tanquam auctorem Scholasticæ juven-
 tuti convenientissimum, quem excerpando, exponendo,
 ac resolvendo, cum Etymologicè, tum Syntacicè aliquo-
 ties absolvimus; ac illi postea additæ sunt selectiores epi-
 stolæ Ciceronis, ex iis, quæ sunt ad Fam: quas eodem fere
 modo, quin & nunc vertendo, nunc imitando pertracta-
 vimus. Cum verò anni Scholastici non patiantur, juven-
 tutem per quodvis auctorum classicorum genus deduci,
 & nihilominus in singulis, præter sermois puritatem
 atque elegantiam, acutæ sæpe ac floridæ sententiæ occur-
 rant, memoriā dignissimæ, quæ & *lingvam expeditiorem
 reddere, & animos juveniles à vitis ad virtutem & vitæ hone-
 statem*


statem revocare possint, docente Buchnêro in Orat. de
Exercit. Styli, in his quoque & comportandis & se-
cundum Virtutum capita, Morhofio ita postulante l. c.
disponendis, ut jam diu desudavi, sic & in iis discipulos
meos sedulo exercere volui, quarum circiter tria millia
memoriâ tenebunt, & credo si hâc viâ perrexerint, iis
quascunque optimæ Latinitatis formulas, & quævis
accuta Auctorum dicta, quin totam puram pariter atque
elegantem Latinitatem, paucis annis, instillari posse. Sed
hæc de Latinæ lingvæ studio hætenus. Verum hic
quoque non omnino negligendum aut posthabendum
duxi, quod B. Morhof l. c. graviter monet, *Lingva sc. La-
tina statim in primordiis Græcam esse jungendam*, illud enim
non tantum commune, quod inter lingvas intercedit,
commercium, sed & ipsa imprimis Græcæ cum Latinâ
affinitas & cognatio postulare videtur, siquidem ad Lat.
*Lingva mediocrem saltem intelligentiam, ejusdemque scriptu-
ram ac pronuntiationem legitimam, Græca Lingva*, docente
Sarkio præf. in Lex. tam necessaria est, quam Spiritus com-
munis ad vitam; hinc disciplinæ meæ alumnos ad aliquam
quoque Græcæ lingvæ cognitionem perducere vo-
lui, in quo eâdem viâ ac methodo, quâ in Latinæ Lingvæ
studio, incessi, ac fundamento etiam hic posito, eos statim
ad expositionem Novi Testamenti Originalis admisi,
in quo, ex minoribus epistolis Paulinis plurimas, non sine
fructu, pertractarunt. Etiam Hebraica, vi promissi,
addere voluissem, nisi morbis, aliisque gravioribus
remoris præpediri essemus; Interim quid per
aliquot horas, nobis adhuc reliqui temporis, in iis
fieri poterit, ipse instantis examinis dies docebit, qui
etiam, quid præterea in ipsis Artibus ac Scientiis, scilicet
in Poëticis, Logicis, & Rhetoricis, itemque in Physi-
cis, Ethicis, Politicis, Geographicis, Arithmeticis, quæ &
Theologicis, a nobis tentatum, & actu præstitum sit, cum
id nunc tempore exclusus, explicare non possim, explica-
bit.

Vale B. L. & conatibus his nostris

Fave Scrib. Rostochii d. 26. Maji,

Anno 1710.





quid enim inde aliud consequitur
 sermonis, vel nullam, vel certè lan-
 guinparet; potius omnia probata &
 vocabula, sc. nomina, Verba & particu-
 larum initio, & quidem in propria sua
multum refert, eos (ut ait Comenius
statim annis ad proprietatem vocabu-
lcanda esse arbitratus sum. Et in hæc
 n modò plurimos optimorum, cum
 iam philologorum, quos nunc bre-
 res in aprico est, silentio prætereo, sed
 licendi Magistrum, Fabium, Aucto-
 ris usurpare sermonibus convevit
maximam esse partem eruditionis. Ve-
 nè mihi cavendum judicavi, ne curæ
 in vocabulorum (quod vulgò fieri
 am Scholasticarum peritissimi viri
 nt) sine rerum notitiâ sibi acquirere
 putamina legerent, nec eo neglecto,
 solis mente non perceptis, juvat, in-
 comprehendisse voces, cum nullis
 dari possint? Hinc cum ipsis vocabu-
 aturales, tum artificiales, tum etiam
 vitæ semina omnium artium & scien-
 fructu quidem, in generare annis
 vocabulorum copiam sibi tali modo
 ei, & quâ ratione illa quàm com-
 tati insillari possit, quum *judicare,*
c. per se maxima sit difficultatis, hic
 possum, præsertim cum ad inculca-
 in negotio utor, adhuc in occulto
 dè parum esse auxiliû, hisce in rebus
 artis exploratum habeam. Nec eo-
 sententiam secutus sum, qui negle-
 hat. solo usu, & conversationis viâ,
 e autumant, qui nihil hic regulis,
 nativis, omnia verò usui ac exerciti-
 ut *pessimè hos de juventute mereri, ac*
) (3 poenas